IN
CIRCUMCISIONE
DOMINI
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.
PONT. MAX.

A JO: FRANCISCO CANCELLIERI MATELICENSI

Cler. Regul. Minor.





ROMÆ, MDCCXXXX.

Typis Jo: Baptistæ Caporali, propè Templum S. Marci.

SUPERIORUM PERMISSU.



SANCTISSIMO DOMINO
NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

Jo: Franciſcus Cancellieri Matelicenſis
Cleric. Regul. Minor.

FELICITATEM.



PTAVERAM diù, Bme PATER, grati animi argumentum, non tàm quod ſublimitati Tuæ, quàm

quod meæ congrueret imbecillitati pro innumeris mihi, præsertim, dũ Bononiensi Ecclesiæ præeras, collatis beneficiis, exhibere. Sed ea meæ tenuitatis cognitio, quæ, ne id moliri auderem, semper cohibuerat, validiùs me visa est retinere, cum mihi repentè contigit Te ad Summi Pontificatus totius Christiani Orbis gratulatione, ac gaudio fastigium evectum venerari. Propterreà, Beatissime Pater, jam animum desponderam, & qui, Te digna, Tibi exhibere non poteram, maluissem de ingrati animi vitio, quàm de temeritate culpari. Cum me tale nihil cogi-

gi-

gitante accidit, ut ad habendã coram Té de CIRCUMCISIONE DOMINI *Orationem fuerim destinatus, quo factum est, ut meũ aliquid, non ultrò, sed obtemperandi studio, non spontè, sed jussus Tibi offerre debuerim, sicque possim temeritatis notam effugere, & ingrati animi vitium identidem declinare. Novi quidem Tuis indignam obtutibus hanc munusculi parvitatem, sed cum jam hanc qualemcumque Orationem auribus benignè, atque patientèr exceperis, ambigendum non est, quin eamdem, eà, quà polles, cunctosque Tibi devincis, affabilitate, humani-*

que complectaris. Excipe igitur obsequentis, gratique animi argumentum, & doni exiguitatem ne spreveris, qui numquam tenuitatem dedignatus es largitoris. Ego interim ad Eum, cujus vices geris in terris, fundere preces non desinam, ut Te ad Subditorum solatium; ad fælix, faustumque Militantis Ecclesiæ regimen, ad cunctorum exemplum, normamque Fidelium diù sospitem servet, suisque in dies magis, magisque cumulet Benedictionibus.

ORA-



ORATIO.



NIGENITI ÆTERNI PATRIS FILII, BEATISSIME PATER, nuper Nobis è Cœlo delapsi, vix Nativitatem læti spectavimus, cum Ejusdem CIRCUMCISIONEM, hujus facti admiratores Mysterii, cogimur intueri. Quid enim sibi vult vulnus in corpore, in quo vix est vulneri locus? Quid sanguis ab ejus educitur vulnere, qui vix lac sugere novit ab ubere? Ideòne non legis necessitate adactus, sed implendæ, cui non suberat, legis voluntate compulsus, pati properat Divinus Infans, ut flagrans indicet desiderium majora

jora tolerandi? Ita ſanè: ac propterea non debita tantùm, quorum ſe vadem conſtituit, verùm etiam indebita, ad quæ ſe non adſtrinxerat, ſatagit adimplere; Modum ſiquidem neſcit Divinus Amor, nèc tempus expectat Amans Divinus, ſed charitate exardeſcens, moræque impatiens jàm proludere incipit, accepto vulnere, complendæ poſtmodùm Paſſioni; quo fit, ut vulnere, dolore, ac ſanguine, amorem indicet, pignus exhibeat, pretium anticipet; amorem in Vulnere, pignus in Dolore, pretium in Sanguine.

Mortalis corporis anguſtias Amor ille non patitur, qui valuit Deum ipſum cum homine copulare. Hinc non tàm in vagitus erumpere, quàm Corpus ipſum diſcindere, ſtatìm aggreditur, ut argumenta, quæ ore adhuc neſcit exprimere, de ſuſcepti Corporis vulnere manifeſtet. Alienâ utique manu voluit Divinus Infans, vulnus iſtud infligi, ut quæ primum hominem Legis tranſgreſſione ſauciaverat, in ſecundi hominis vulnere, & Legem adimpleat, & Humani Generis præparet reſtaurationem: Sic Vulnere Hominis Dei curatio incipit vulnerum ſauciati hominis, ut per plagam Amoris ſanetur plaga crudelitatis, & homo ille primus, qui per pec-

peccatum incidit in latrones, qui expoliaverunt eum, ac plagis impositis abierunt, semevivo relicto, per Dei gratiam in Medicum amantem incideret, qui illum indueret, propriâ nuditate contemptâ, propriique vulneris dispendio eum à vulneribus liberaret. O miram amoris violentiam, vel in ipsa sævitia quammaximè celebrandam! *Luc. c. 10. 30.*

Non hìc Peccatorum circumstant manus, non hìc adversarius, qui vulnus infligat, & tamen Amor, Amor ipse inter Parentum amplexus novit, gladio membra præcidere. Idem ipse Sacerdos placandus, Rei formam induens *in similitudinem carnis peccati* in se iram omnem, in se mortis tela convertit, *almique membra Corporis Amor Sacerdos immolat*: Immolat quidem vulnere amoris, vulnere immolat doloris, ut is, qui voluptate peccaverat, alieno sanaretur dolore. Tribulationem, & dolorem invénit, qui ea per clades, & vulnera exquisivit, ut iisdem adinventis pignus daret Redemptionis; Sic tamquam suæ fidei obsides Patri exhibet cruciatus, quibus copiosæ futuræ Redemptionis fædera utrinque firmentur. Jam verò si materna adhuc sugens ubera corpus exhibet vulneri, quomodo virum dolorum se futurum, non pollicebitur? Si ab infantiæ

Rom. 1. cap. 14.

S. Eccles. in hymn. Dom. in Albis.

Psal. 114. v. 4.

cre-

crepundiis novit pœnas assumere, quid nón in Golgothæ vertice tormentis occurret? Si vagitus edens, lapideum cultrum, quo sauciетur, accersit, quid non flagella, spinas, clavos forti animo provocabit? Copiosæ quidem Redemptionis in dolore pignus. At quia *sine Sanguinis effusione non fit remissio*, nostræ salutis Auctor præstituta Passionis accelerans tempora, pretium exhibere pergit in sanguine.

Ad Hab. cap. 9. 22.

Consurgat modò quæ tamdiù prostrata jacuerat, Adæ captiva progenies, & in hujusce Sanguinis virtute pretium agnoscat, quod, prò amissæ salutis Redemptione, ÆTERNO PATRI persolvat. Neque verò parva Sanguinis copia, qui à REDEMPTORE sub CIRCUMCISIONIS gladio effunditur, ubertati derogat redemptionis, cum Solventis Dignitas infinitatem conferat solutioni. Sed neque parva, quæ ab exiguo erumpit corpore, sanguinis copia dicenda est, cum fons iste, qui modò parvus aspicitur, crescere debeat in fluvium, illo sanè uberiorem, qui è terrestris Paradisi medio egrediens, dividebatur in quatuor capita ad irrigandam universam terram. Hic namque è secundo Adam de Cœlo cœlesti promanans, in quinque capita dividetur ad universer-

Gen. c. 2. v. 10.